

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-263749-p0002-1

DFG

*29.* 1776, 8 A8

DISSERTATIO  
IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**NAVI OPPIGNORATA**

*29.* AD  
ART. VI. TIT. IV. LIB. III.  
**IVRIS LVBECENSIS**

QVAM  
AVSPICIIS REGIIS  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRO  
**SVMMIS IN VTROQUE IVRE HONORIBVS**  
RITE OBTINENDIS

D. XV. APR. MDCCLXXVI.

H. L. Q. C.  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

A R G T O A

**IOACHIMVS LUDOVICVS TANCK**  
LVBECENSIS.

GOETTINGAE  
Litteris JOANN. CHRISTIANI DIETERICH.





V I R O

*PERILLVSTRI ET CONSVLTISSIMO*

DIGNITATE, SPLEDORE

AC IMMORTALIVM IN PATRIAM MERITORVM  
AMPLITVDINE CELEBERRIMO

# IOACHIMO TANCK

I. V. D.

S E N A T O R I

DE S. R. I. LIBERA REPVLICA LVBECensi  
MERITISSIMO

PATRVO SVO ATQVE FAVTORI

SVMMO HONORIS AC PIETATIS CVLTV AD CINERES  
VSQVE DEVENERANDO

O HANC V

DISSTERTATIONEM IN AVGVRALEM

SEMPITERNUM

VENERATIONIS ET GRATITUDINIS MONVMENTVM

AMVLITATIBVS QVILLERIUM

D. D. D.

IOACHIMO TANCK

I N U

S E N A T O R I

DE S C L I M B E R A R Y C H I C U R I A

HERITIARIA

EATRADO S A V T O Z E H N A T O H I

A V C T O R

S A M M O H O M O R S A C H I M I T S Q U I A V D C I N P R E S

IOACHIMVS EUDOVICVS TANCK.

# CONSPPECTVS DISSERTATIONIS.

Praefatio instituti rationem ficit.

CAP. I. De pignore Rei mobilis secundum Ius Lubeценse in genere.

Pignus rei mobilis consideratur.

I. Quoad Naturam eius.

- Notio determinatur. §. I.
- Denominatio. §. II.

II. Quoad Constitutionem

A) ratione modi.

Constituitur hoc pignus traditione

- vera §. III.
- symbolica §. IV.
- priuata auctoritate facta. §. V.

B) ratione obiecti

Obiectum est res mobilis. §. VI.

III. Quoad Effectum.

A) Praefat securitatem.

- Dominium non transfertur. §. VII.
- Possessionem tantum tribuit. §. VIII.
- Remedia iuris ad eam consequendam. §. IX.
- Necessitas retentionis demonstratur. §. X.

B) Tribuit facultatem consequendi satisfactionem.

- Extra concursum
  - inter cives et extraneos. §. XI.
  - inter cives, vbi primo fit denunciatio. §. XII.

Postea Aetimatio. §. XIII.  
Tunc adiudicatio. §. XIV.
- In Concurso creditorum  
Creditor moto concurso pignus retinet. §. XV.

CAP.

## CAP. II. De Naui oppignorata in specie.

Nauem oppignoratam pignus traditum constituere, docent,

- I. Notio eiusmodi pignoris.  
quae applicatur. §. XVI.

### II. Constitutio

- A) *ratione modi*  
interueniente traditione, §. XVII.
- B) *ratione obiecti*  
est enim res mobilis. §. XVIII.

### III. Effectus

- A) *Quoad securitatem durante nexu.*  
I) Ius possidendi §. XIX.  
idque  
a) in flumine publico exercetur. §. XX.  
b) retineri debet, non dimitti. §. XXI.  
2) Sublato nexu.  
a) naui translatâ et reductâ reuiuiscit.  
§. XXII.  
b) consenui creditoris abducta liberatur.  
§. XXIII.

### B) *Quoad persecutionem.*

Tam extra concurfu quam moto, eo §. XXIV.

### IV. Argumenta generalia

- A) Negatiue §. XXV.  
B) Positiue ex ratione legis, §. XXVI.

DIS-



DISSERTATIO  
IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
NAVI OPPIGNORATA

AD  
ART. VI. TIT. IV. LIB. III.

IVRIS LVBECKENSIS.

P R A E F A T I O.

Non Scholae sed patriae discendum esse, commune est praeceptum prudentum: idque mecum reputans, optime me mihi consulere posse putau, si tempus, elaborationi speciminis inauguralis deslinatum, simul studio iuris patrii tribuerem, et pro virium mediocritate, quaedam, ad illustrationem eius adferrem. Deterrebat equidem a proposito isto, virorum clarissimorum laudeque mea maiorum auctoritas, qui partim integrum ius Lubecense illustrarunt, partim singula eius capita tractarunt. Facile enim intelligebam, me nec ad illorum laudem posse accedere;

A

mul-

multosque fore, qui tale optis, leue nec specimine inaugrali dignum iudicarent, cum acta agere, interpretataque interpretata legerent. Nihilo tamen secius, a proposito me auocari passus haud sum, non dubitans, superesse adhuc quaedam, quae vltiori disquisitione digna, non sine vtilitate accuratius possint determinari, quam illi fecerunt, qui vel in generali tractatione versantes, specialia quaedam neglexerunt, vel, aliis specialibus intenti, alia omiserunt. Huius generis esse videtur, Articulus VI. Tit. IV. Libr. III. Iuris Lubecensis, circa cuius sensum, varia adhuc dubia, post *M E V I I a) STYPMANNI b)* et celeberrimi commentatoris iuris Hamburgensis *c)* interpretationes supersunt; nec *LOCCENII d)* obseruatio, qua huius Articuli mentionem facit, sufficientis interpretationis vicem sustinere potest. Disponit Articulus, quod, si quis naue alicui pignoris iure obligauerit, eaque postea aliossum profectus sit, illamque vendiderit, persecutio creditoris denegetur; sin autem redierit, nexum pignoris reuiscere statuit. Circa istam constitutionem valde controveneritur, an nauis ita obligata, pignoris ad manus traditi, an hypothecae tantum nexus obnoxia, censenda sit? quae praeterea, vera huius dispositionis sit ratio? In vtraque quaestione excutienda, disputatio mea versatur. Omnia subdia ex principiis domesticis desumi, maiorumque institutis rem debere iudicari, facile quilibet mecum existimabit, qui non ignorat, Articulum citatum ex antiquis Codicibus iuris Lubecensis *e)* desumtum esse,

illum.

- a)* in Commentario ad Ius Lubecense h. A.
- b)* de Jure maritimo, in *HEINECCI scriptoribus de Iure nautico* pag. 410.
- c)* in der Sammlung der Hamburgischen Gesetze und Verfassungen, T. V. p. 198.
- d)* in tr. de Jure Maritimo Libr. III, Cap. III. §. 3.
- e)* vid. Codicem Iuris Lubecensis antiquissimum apud B. de WESTPHALEN in T. III. Monum, inedit. p. 655. Art. CXLVI. et B. BROCKES sele-

illumque, priusquam usus iuris Romani ad maiores nostros penetraverit, in usu fuisse. Ut tamen facilius possit intelligi, originarie, et secundum simplicitatem naturalem, eandem apud omnes fere gentes fuisse contratum naturam, unam, iuris Romani in Germania iuris communis instar obtinens, observationem addere, non alienum videtur. Romani olim, sicut etiam Germani, pignoribus in securitatem crediti vtebantur, ignorabant hypothecas. Circa pignora autem id obtinebat, ut, ex antiqui iuris regulis, creditor deberet pignori incumbere, si in eo plus habere vollet cautionis, quam in persona f): nec amissa possessione, rem, pignoris iure obligatam, a tertio vindicare poterat, quum iura inter eum et debitorem ex contractu pignoratio descenderent. Idem olim, in pignore ad manus tradito, apud maiores nostros valebat, qui re creditori in securitatem crediti tradita, ipsi quidem facultatem concedebant, eam, donec ipsi satisfactum fuerit, retinendi, amissa vero possessione, contra tertium denegabatur actio g); de qua iuris patrii doctrina plura infra erunt expoundenda. Romani postea, ad consequendum ius reale, mancipationem vel in iure cessionem hoc consilio adhibebant h), ut creditor, nomine proprio rem tueri, eamque contra quemcunque persequi posset. Ut tamen debitor securus redderetur de re sua recipienda, mancipationi addi solebat pactum fiduciae, quippe quod erat *pactum accessorum*, quo, res

ali-

selectis observationibus adiectos Codices I. 148. II. 118. III. 285. conf.  
adh. Codicem ms. d. A. 1498. P. III. Art. XIII.

f) vid. NOODT Obs. Libr. II. Cap. VIII. HELLFELD diff. de Hypotheca mobilium. §. VII.

g) vid. DOBBELER de negata mobilibus sequela, Groeningae 1718.

h) vid. PROUSTEAU Recitatt. ad L. Contractus XXIII. D. de R. I. Cap. XIX. n. 6. in MEERMANNI Thesauro Iuris ciuilis et canonici T. III. VENNIVS ad Instit. Libr. IV. Tit. VI. §. 12. SCHVLTING in not, ad PAVLI Recept. sentent. Libr. II. Tit. XIII. pr.

*atīcū ea līge mancipabatur, vt is eam mancipanti remaniciparet i).* Pactum  
hocce, intuitu pignoris effecit, vt creditor, rem durante iuxta sibi habere,  
eamque, si manibas suis fuerit subtracta, persequi posset; ita, vt posses-  
sione quoque naturali in debitorem locationis forsan titulo translata, ipse  
tamen ciuilis possessio esse videretur. Haec omnia maiores nostri igno-  
rabant, non opus erat, vt creditori dominium concederent, nec paetum  
fiduciae requirebatur; sed de natura pacti, perinde ac apud romanos con-  
tractus obligatorii, erat, vt creditor, soluto debito, pignus, debiti tan-  
tum nomine possessum, debitori restitueret.

i) FRANC. CAROL. CONRADI de pacto fiduciae Ex. I. §. II.



CA-

## C A P V T I.

DE

## PIGNORE REI MOBILIS

SECUNDVM IVS LVBECENSE

IN GENERE.

## §. I.

*Notio Pignoris.*

**D**e quaestione illa, an articulus iuris patrii, quem interpretandum mihi sumsi, de pignore ad manus tradito, an de hypotheca verba faciat? exposituro, ante omnia, cum adfirmans placeat sententia, de iure eiusmodi pignoris, secundum Ius Lubecense, generatim agendum est: ut, applicatis postea hisce principiis ad namem oppignoratam, tanto accuratius ac facilius possit intelligi, quid de hac quaestione dicendum sit? Pignus autem, secundum ius Lubecense, idem est ac secundum ius Hamburgense; quo Ill. CAROL. FRIDER. WALCH a), illud definit, quod sit: *contractus, quo debitor rem mobilem creditori in securitatem crediti eum in finem tradit, ut eam retineat, donec a debitoro ipfi satisfactum sit.* Ius autem pignoris ex hac traditione creditori competens, facultatem continet, rem quandam retinendi, indeque solutionem consequendi.

Qua-

a) in Differt, de contractu pignoratitio Hamburgensi §. IV.

A 3

Quadrant hae definitiones ad res mobiles tantum, ad hypothecae nexum applicari nequeunt. Ad nostram enim tractationem, hypothecae quippe quae in rebus plerumque immobilibus constituantur, non pertinent, naues enim, iure meritoque mobilibus accensentur b); hinc potius de pignore in rebus mobilibus constituto, quam de hypotheca dicendum erit c). Idque tanto magis, quam Articulus, in quo interpretando occupatus sum, secundum supra deducta, aetate, auctoritatem iuris Romani superet, et iam iis temporibus fuerit Codicibus iuris patrii insertus, quibus maioribus nostris hypothecae conventionales plane ignotae erant.

## §. II.

*Denominatio.*

Varia ac diversa sunt nomina, quibus maiores nostri conventionem pignoratitiam, ab antiquissimis inde temporibus ipsis notam, eius obiectum, sive rem quam pignori dabant; atque insignem illum effectum, sive ius, quod ista ex actione descendebat, designare solebant. Veterissimum erat vocabulum *Wette*, vti recte animaduerterunt **GVL. SOMNERVS d), OLAVS VERELIVS e), IOANNES SCHILTE-**  
**RVS,**

b) vid. MARQVARDO de Iure mercatorum L. II. C. V. n. 85. BENEVEN. STRACCHA tr. de nauibus. p. 31. MEVIVS ad Ius Lubecense Lib. I. Tit. X. Art. VI. n. 78.

c) Dubium, ex necessitate, earundem in alienatione pignoris, quam rerum immobilium offeruandrum follennitatum, iure Hamburgensi antiquo d. a. 1270. C. I. Art. XIII. praescripta, hodie cessat. Codex ille antiquus extat in B. WESTPHALEN Thef. Monument. inedit. T. IV. pag. 2092. Conf. BOER. Decis. CLXXVII.

d) in Dictionar. Saxonico Latino Anglicano, voce *Ved.*

e) Indice etymolog. hac voce p. 268.

RVS f), 10. GEORG. WACHTER g), et CHRISTIAN. GOTTLOR.  
HALTAVS h): ex quo, sine dubio vox *Weddeschatz*, *Wetteschatz*,  
*Wettestat*, quae in antiquioribus huius textus editionibus adhi-  
betur, formata est i); composita ex voce *Wedde* pignus et *Schatt* l.  
*Scatt* possesio k): ex ipsa igitur vocis significatione, denotat, pignus  
a creditore possessum, quod inde *ein handhabendes Pfand* vocant; quod  
radi et manuteneri a creditore solet. Et hac in re nostrates VERDEN-  
SES l) HAMBVRGENSES m) STADENSES n) BRVNSVICEN-  
SES o) BREMENSES p) multarumque chartarum auctores imitantur.  
Non minus cognitum est vocabulum *dat Setten*, *das Versetzen* q), quod  
in antiquioribus perinde ac recentioribus legibus adhibetur: ex eoque sub-  
stantium *der Einsatz*, *die Versetzung*, *der Versatz*, formatum videtur.  
Plerisque tamen locis, quibus, auctoriibus legum nostrarum, de pignore  
fermo est, verbis *das Pfand*, *Pfandschaft*, *Verpfändung* vtuntur; quae

VOX

- f) in Glossar, voce *Wette*, in Thef. antiquitatum teutonicarum T. III. p.  
564.
- g) in Glossar. Germ. voc. *Wette* p. 1887.
- h) Glossar. Germ. v. *Wette* p. 2087.
- i) v. B. BROCKES sel. Obs. forens. in Append. I, Art. 148. II, Art. 118.  
et III. Art. 285.
- k) WACHTER c. l. et pag. 1385.
- l) Art. Statut. LIII. ap. PVFFENDORF. Obs. Iur. Univ. T. II. p. 96.
- m) Ius Hamburgense d. a. 1297. P. I. Art. V. et XII. ap. WESTPHAL  
l. c. T. IV. p. 380.
- n) P. XI. Art. II. in SENCKENBERG. select. Iur. et Histor. T. VI. p. 380.
- o) in LEIBNITII Scriptor. Rer. Brunsvicens. p. 436.
- p) Statut. Bremens. 46. ap. PVFFENDORF. O. I. V. T. XVII, p. 49.
- q) vid. Cod. Iur. Lubec. d. a. 1498. P. III. Art. XIII.

vox iam in legibus germanicis mediae aetatis occurrit, vbi *Pant*, *penden*,  
*Pand*, *panden*, r.) *Verpandung* s), legimus.

### §. III.

#### *Constituitur hoc pignus traditione a) vera.*

Ad eiusmodi autem pignoris constitutionem, rerum oppignoratum traditionem requiri, res ipsa docet, cum de natura pignoris sit, ut creditor illud tenere, debitoremque ab usu et ulteriore alienatione et opere pignoratione possit excludere, id quod nomen ipsum *ein handhabendes Pfand* euincit. Non itaque adeo pignus ad manus traditum, cum res reliqua est in manu domini debitoris t): sed, ut in potestatem et custodiad creditoris peruerenter, necesse est u): quo demum efficitur, ut possit manuteneri *gehandhabet werden*.

### §. IV.

#### *b) Symbolica.*

Non autem vera et naturalis abscisae requiritur traditio, sed, quemadmodum in transferendo rerum dominio, *symbolicae* traditionis variae

maio-

r.) vid. Collect. diplomat. de Reb. ciuit. et colonar. in T. I. Corp. Iur. German. SENCKENBERGII p. 4. et 13.

s.) Ius Dithmaricum Art. L. p. 64.

t.) vid. de FRICCIUS in diff. Iur. Rom. et Germanici circa pignus in manus traditum Diff. II. p. 31. ENGELBRECHT Obs. select. Forens. Sp. I obs. XIII. n. 12.

u.) vid. HEINECCIVS in Elem. Iur. Germanici. L. II. Tit. XIII. §. 367. WIECH. diff. de Contractu pignoratio Hamburgenfi Sect. II. §. 6. et II. Ius Lubec. L. III. Tit. IV. Art. IV. et V. Statut. Bremense d. a. 1303. Ordet 51. ap. de NETTELBLA Nachlese von alten und neuen Urkunden 3. St. p. 82.

maioribus nostris placuere species *x*), ita et in pignore tradendo, translatio possessionis per symbola fieri potuit: potest enim per eam, non minus quam per veram traditionem, vera possessio transferri *y*), et debitori potestas vltterioris alienationis adimi *z*). Eiusmodi autem traditionum solennitas, quatenus in pignore tradendo fuerit necessaria, obseruat HEINECCIVS *a*). Non tamen iure Germanico et Lubecensi traditio ista symbolica sufficit, nisi, mediante ea, res in custodiam creditoris peruenierit; ergo, si claves horrei, in quo frumentum est repositum, ad effectum huiusmodi pignoris tradantur, cum tali modo debitori aditus ad frumentum oppignoratum adimatur, tale pignus adesse, et a creditore teneri videtur. Si autem creditor illam rem, quam debitor ipsi in securitatem crediti exhibuit, huic absque vlla inclusione in aedibus suis relinquit, quamvis ablato non absolute requiratur *b*); cessat ius pignoris ad manus traditi *c*). Eodem modo traditio mercium in taberna obuiarum fieri commode posse, res ipsa docet *d*).

### §. V.

*x*) vid. HEINECCIVS in Elem. Iur. Germ. L. II. Tit. III. §. LXXII. sqq. ENGAV Elem. Iur. Germ. L. II. Tit. XVII. §. 341. HOFFMANN Differt. de Iurisprudent. veter. Germanorum symbolica. Francof. ad Viadr. clobcxcliii.

*y*) vid. L. 8. D. de A. vel A. possess.

*z*) vid. PESTEL s. Resp. SMITH diff. de iure pignoris imminente cre-

ditorum concurfu. Sentent. LI. §. XV.

*a*) c. l. L. II. T. XVI. § CCCCXLV.

*b*) LEYSER in Medit. ad Pandect. Sp. CCXXXIII. m. I. et 2.

*c*) Patet veritas huius interpretationis, ex denegatione iuris pignoris, in casum, si creditor illud ex custodia sua dimittit, Wenn es aus seiner Gewehr kommt vid. Ius Lubec. L. III. Tit. V. Art. V. conf. Ius Hamburgense L. III. Tit. IV. Art. II. RIVINVS de iure pignoris moto concursu §. XII.

*d*) Similis est ita creditoris possessio; possessioni Romanorum solo animo retentae; quam POMPONIVS in L. 25. §. 2. D. de A. vel A. possess. vsque eo durare aferit, donec reuertentes nos aliquis repellat;

---

### §. V.

*c) priuata auctoritate facta.*

Praeter hanc vero traditionem, nulla iure patrio requiritur solennitas. Ad oppignorationis quidem rerum immobilium efficaciam, requiritur, ut coram senatu fiat, et libro publico seu actis inseratur e). Hae autem sunt fundi, *liegende Gründe*, et domus seu aedificia quae vocantur *stehende Erbe*, ut appareat, ad immobilia saltem pertinere hoc statutum, minime vero ad mobilia, quorum oppignoratio libera est ex tenetum voluntate. Nec requisuit ibi statutum senatus auctoritatem, cum rarissime contingat, eas oppignorari, nisi creditori quoque tradantur, idcirco causa illius prouisionis cessat, et tale pignus accidente traditione in manus constitutum, inde *ein handhabendes Pfand* vocatur.

### §. VI.

*Obiectum est res mobilis.*

Haec autem denominatio, non immobilibus, sed rebus mobilibus oppignoratis, in legibus patriis applicatur f); et ex ipso huius pignoris nomine, nominisque origine g) liquet, vnicce res mobiles obiectum eiusmodi pignoris posse constituere. Neque minus id colligimus, ex descriptione rerum oppignorandarum, quam vicinarum ciuitatum, BREMENSIS h) videlicet ac

VER-

e) Ius Lubecense L. III. Tit. IV. Art. I. *Will jemand seine liegende Gründe und stehende Erbe versetzen, oder verpfänden, der soll es thun vor dem Rathe, so ist es kräftig und beständig.*

f) ita L. III. Tit. IV. Art. V. dicitur: *versetzt einer etwas von seinem beweglichen Gute, und übergibt es als ein handhabend. Pfand.*

g) vid. MEVIVS ad Art. IV. cit. Tit. Iur. Lubecens. n. I.

h) Ordele der Stadt Bremen. Ordel 51. ap. PVFFENDORF Obs. I. V. T. II. append. p. 88. Exstat quoque in eo iure Bremensi, quod apparuit in der Nachlese von alten und neuen Urkunden P. III. pag. 46.

VERDENSIS *i)* iura, nobis exhibent; quum illud vocant *ein Pant, dat man flotten und fören mag k)*: sive pignus, quod quis in itinere maritimo aequae ac terrestri secum ducere possit.

### §. VII.

#### *Dominium non transfertur.*

Constituto tali pignore et tradito, quenam iura creditor inde sequatur? non incommoda queritur. Inter quae, primipilare quasi et praecipuum, penes quam plurimos, et fere omnes iuris Germanici autores, est dominii translatio, qua, secundum eorum, qui huic sententiae accedunt, opinionem, creditor, ad similitudinem creditoris romani, cui tale pignus sub lege fiduciae mancipabatur, ea facultas conceditur, ut il lud proprio nomine possidere, et amissa, contra quemcunque possefrem persequi possit. Adsentientium numero sunt, HIERONIMVS GVNDLING *l)* CHRISTIANVS THOMASIVS *m)* IO. GOTHOFRED. DE MEYEREN *n)* IVSTVS HENNINGIVS BÖHMER *o)* IO. RUDOLPHVS ENGAV *p)* et I. FRIDER. EISENHARDT *q)*. Contraria vero sententiam, genuinis iuris Germanici principiis magis ad-

com-

- i)* Statut. Verdense Stat. XLII. in PÜFFENDORF O. I. V. T. I. p. 96. app. vbi ita statutum legimus. *Heft ein Bürger Pfand in siner Waren de man flotten und fören mag, vor sinen Weddeschatt, de is hi neger tho sin Geld, an tho beholdende de icnig Man ohne astwinnende.*
- k)* PÜFFENDORF c. l. p. 93.
- l)* in Schediafm. de iure oppignorat. territ. §. LXXXIII.
- m)* De Vsu pract. distinct. inter emt. vendit. cum paeto de retrouenden- do et contractu pignoratio C. XI. §§. 28.
- n)* von der Rechtmäßigkeit des sech/ten Zinsthalers in Deutschland §. 21.
- o)* diss. de diuerso pignoris et hypothecare iure T:III, Exercitatt, ad Pand.
- p)* Elem. Iur. Germanici L. III. Tit. XIV. §. CLX.
- q)* Instit. Iur. Germanici priuati. L. III. Tit. XIV. §. I.

coimmodatam, defendunt I. STRAVCH <sup>r)</sup> IOACHIM POT GIESER  
 s) IO. GOTTLIEB HEINECCIVS <sup>t)</sup> SCHILTER <sup>u)</sup> et speciali com-  
 mentatione CHRISTIAN. GOTTL. RICCIUS <sup>x)</sup>. Qui cum senten-  
 tiam suam, satis, ex legum Germaniae antiquarum dispositionibus euice-  
 rint; inutilem fere istam fecerunt controuerſiam, et negari creditori hoc  
 dominium posse, sufficienter probatum dederunt. Argumentis tamen  
 eorum hanc vnam obſeruationem addere iuuat; pignus nostrum, satis  
 in eo diſſerre a mancipatione illa Romanorum <sup>y)</sup> quod, cum illa credi-  
 tori facultatem concesſerit, rem ſibi obligatam, proprio nomine perſe-  
 quendi contra quemcunque eius poffefforem; moribus Germaniae, nege-  
 tur creditori facultas, amifla poffeffione, rem a tertio eius poffeffore re-  
 recuperandi, de quo infra plura erunt exponenda.

### §. VIII.

#### *Poffeffionem tantum tribuit.*

Eſi denegare creditori pignoris dominium non dubitauerim, ipſi  
 tamen, ius reale in ſecuritatē crediti tribuere omnino debo, quippe  
 quod ipſae leges patriæ ipſi tribuunt. Ius iſtud vero, potiſſimum in fa-  
 cultate retinendi pignus, donec ſatisfactionem fit confeſſus, conſiſtit,  
 cum,

- <sup>r)</sup> De oppignorat. rerum imperii.
- <sup>s)</sup> De natura atque inde pignoris quoad ius Gentium, iura et conſue-  
 tudines Germaniae C. II. §. V.
- <sup>t)</sup> Elem. Iur. Germ. L. II. Tit. XI, §. CCCXIV. feqq. cuius ſententiam  
 recte interpretatur Ill. RICCIUS in Exam. politico doctrinae de do-  
 minio pignoris Germanici in creditorem translati §. XII.
- <sup>u)</sup> Exercitat. XXXIII. §. IV.
- <sup>x)</sup> eit. tractat. per tot.
- <sup>y)</sup> Differentiam iſtam copioſe oſtendit POT GIESER c. tr. S. III, C. I.  
 §. IX.

etiam, qui pignus tenet, etiam alii locatio esse dicitur a) Pignori  
igitur creditor debet incumbere, si in eo plus habere vult cautionis,  
quam in persona: nec, si ius suum in saluo esse cupit, pati potest et  
debet, rem sibi obligatam alteri obligari, aut vendi, aut in alia transfer-  
ri loca, quo possessionem amittat a). Aequum enim et salutare duxit  
statutum, excludi a pignoris persecutione eum, qui ex manibus dimisit,  
cum satius debuisse rei incumbere, quam eam prosequi. Persecutio  
enim pignoris contra tertium, turbat fidem publicam et nocet commer-  
cii b), et contradicit regulae, Lubecensibus, Hamburgensibus et obser-  
vante Ill. RICCIUS c) omnibus Germanis sanctae, Hand muss Hand  
wahren. Cuius enim fidem quis semel est secutus, rem tradendo, ean-  
dem quoque in eiusdem repetitione sequatur, seu conueniat necesse est d).  
Doctrinam istam ius quidem Lubecense intuitu commodantis tantum pro-  
ponit e), eidem proponens monitionem, ut, in re sua alteri commodan-  
da, sibi ab eiusmodi commodatario, cuius fidem nondum satis explora-  
tam

- 2) Ius Lubecense Libr. III. Tit IV. Art. V. und ist also derjenige, welcher ein handhabend Pfand hat, näher dabe zu bleiben, dann von andern davon zu treiben. Eadem, possessionis, bona fide consecutae securi-  
tas defenditur Art. IX. h. t. quo creditor iuramento praesito contra  
omnes impediciones fecuris redditur.
- a) Significant hoc verba: und also aus seiner Gewehr kommt.
- b) vid. LEYSER in Meditatt. ad Pand. Sp. CCCCXLV. m. 2.
- c) in Examine polemico doctrinae de dominio pignoris Germanici. §. X.
- d) Exprimit hoc nostrates altera paroemia: wo einer seinen Glauben ge-  
lassen, da muß er ihn wiederfinden.
- e) L. III. Tit. II. Art. II. Ein jeglicher sehe wohl zu, wenn er das Seine  
ausleihe und vertraue; Dann, würde es sich zutraugen, daß derjenige,  
dene es geliehen, oder vertraut, dasselbe verkauft, versetzte, oder  
sonsten alienirte, will dann der Ausleihner das Gut wieder haben, von  
dem, welchem das ausgeliehene Gut per Contractum gebracht. so muß  
er es selbst lösen, sonst bleibt der es gekauft, oder an sich gebracht.  
näher dabe, dann derjenige, welcher das Gut ausgeliehen; Dann, da  
jemand seinen Glauben gelassen, da muß er ihn wiederfinden.

tem habet, securat. Itaque decisionem, nonnulli, ad solum contractum commodati vel depositi restringere voluerunt f). Ius autem Hamburgense g), quod tanquam aemulum et declaratorium iuris patrii, recte adhiberi, iam celeberrimus iuris patrii commentator h) observauit; idem, in omnibus contractibus, vbi re tradita fides habetur, obtinere statuit, vt adeo etiam in pignore valere debeat i). Seruiana itaque et quasi Seruiana actio, quemadmodum Römani illas vocare solebant, contra tertium bonae fidei possessorem hoc casu locum haud inveniet.

### §. IX.

#### *Remedia iuris ad eam consequendam.*

Omnem tamen pignoris possessorem, a reali pignoris persecutoria actione, ex sententia iuris HAMBVRGENSIS k), absoluendum haud esse, III. WALCH l) iure obseruat: cum lex de casu extraordinario disponat, et exceptionem a regula tradat, qua, si semel possessionem rei oppignoratae debitori reliquerit creditor, cum non posse agere aduersus tertium: vt adeo, si rei possessionem semel nactus fuerit, eandem vero alio modo amiserit, omnino reali actione experiri, possessionemque legitimis re-

mediis

f) vid. III. RICCVS c. 1. n. 15.

g) P. II. Tit. IV. Art. II. et P. II. Tit. II. Art. VII.

h) MEVIVS ad Libr. I. Tit. X. Art. IV. n. 9. et Art. VI. n. 44,

i) vid. de FRICCVS de differentia iuris Romani et Germanici circa pignus in manus traditum Diff. I. B. G. H. AYRER de comparatione commodati et pignoris secundum iura Statutaria §. I. in Opusc. N. V. MARQVARD de iure Mercatorum L. II. Cap. IX.

k) P. II. Tit. IV. Art. II. verbis: *Wann ein Glaubiger in seines Schuldners beweglichen Gut Verpfändung hat, und ihm doch dasselbe in seinen Gewahren gelassen.*

l) cit. diff. Sect. III, §. III.

mediis consequi possit. Confirmat hanc sententiam Ius LVBECENSE  
 m), et consensum creditoris, in translationem pignoris in alia loca, supponit: ex eoque non sine ratione colligit MEVIVS n), quod ablatio et immutatio, quae inscio et invito creditore fit, ipsi minime praejudicet o). Et quum in eodem iuris patrii articulo, contra tertium creditoris securitas tribuatur, non incommoda ipsi remedia possessoria contra illum ceduntur, quibus, in casu pignoris sibi traditi, possessionem defendat, amissamque recuperare fudeat.

### §. X.

#### *Necessitas retentionis demonstratur.*

Quantoper ex intentione iuris patrii possessionis retentio sit necessaria, probant antiquae iuris SAXONICI p) SVEVICI q) HAMBVRGENSIS QVE r) constitutiones, quibus, id quod nouum argumentum haud translati in creditorem dominii praebet, creditor quidem a praestatione pretii, si res casu interierit, liberatur, ab exactione autem debiti excluditur s); cuius dispositionis ratio, vniue in eo posita est, quod non amplius possideat rem, in qua securitatem nactus fuerat. Aliter quidem

sta-

m) L. III. Tit. IV. Art. V.

n) ad cit. Art. n. 28.

o) Argumentum, pro defendenda ista opinione, commode desumi potest ex disputatione Art. VIII. Tit. V. Libr. III. qua creditor, pignus furto ablatum accipiens, siue sciens, siue ignorans, redere obligatur. Inde vice verba adfirmari potest, emtorem pignoris, creditor, vi aut clam ablati, ad illud restituendum posse compelli.

p) I. Pr. S. Libr. III. Art. V.

q) Art. CCXLIII.

r) Stat. Antiquum Hamburg. P. VIII. p. 691.

s) ita v. c. Ius Pr. Saxonicum: *Stirbt aber ein Pferd oder ein Vieh in der Versatzung ohne jenes Schuld der das unter ihm hatte, beweiset er das, und thut auch dazu Schwöhren, er gibt es ihm nicht: er hat aber sein Geld verloren das es ihm vor versetzt stunde,*

statutis postea conditis, et legibus provincialibus, veluti **BAVARIAE** <sup>i)</sup>,  
**IURE IUTICO** <sup>ii)</sup>, **VERDENSI** <sup>x)</sup>, **BREMENSI** <sup>y)</sup>, **DITHMARSICO**  
<sup>z)</sup>, ac iure non scripto **NEOMONASTERIENSIS** <sup>a)</sup> cautum reperimus,  
quibus etiam ius nouum **HAMBVRGENSE** accedit <sup>b)</sup>: probant tamen,  
omnem, vel certe maximam creditoris securitatem, in eo positam fuisse,  
ut pignori incumberet <sup>c)</sup>. Nullam in iure patrio decisionem huius casus  
deprehendimus, eandemque ob causam adfirmare non dubito, casum,  
secundum iuris Romani dispositionem, quippe quod, non nisi damna  
culpa lata vel leui data, restitui iubet; <sup>d)</sup> debitorem sentire salua manente  
creditori facultate, id quod sibi debetur personali actione persequendi.

### §. XI.

#### *Exactio satisfactionis a) inter ciues et extraneos.*

Absolutis ita iuribus, creditori, in pignore sibi tradito competen-  
tibus, ad modum devenio, quomodo satisfactionem inde consequatur.  
Varias ius nostrum habet dispositiones, quibus modus procedendi, com-  
tra debitorem, relutionem pignoris differentem, determinatur. Distin-  
guit enim, an persequatur pignus in concursu, an extra concursum.  
Hoc casu iterum differt modus procedendi, prout, vel ciuis ciui, vel ex-

tra-

<sup>i)</sup> Tit. XVII. in **HEVMANNI** Opuscul. Iur. Germanici p. 115.

<sup>ii)</sup> *Iutisches Lowbuch* L. II. C. XIV. p. 121.

<sup>x)</sup> Ap. **PVFFENDORF** O. I. V. T. I. app. pag. 97.

<sup>y)</sup> *Stat. und Ordele* ap. Eund. T. II. p. 93.

<sup>z)</sup> *Dithmarsisches Landrecht* Art. LIII. p. 66.

<sup>a)</sup> *Neumünsterische Kirchspiels Gebraeuche* ap. Perill. **DREYERVM in den vernünftigsten Abhandlungen** II. Th. p. 1078. ibique Art. XXIV.

<sup>b)</sup> P. II. T. III. Art. VIII.

<sup>c)</sup> Huc etiam refero prohibitionem vterioris oppignorationis, iure com-  
muni licitae, quae art. X. Tit. V. L. III. continetur.

<sup>d)</sup> *L. 13. et 14. D.* de Pignorati Actione.

trāneo, pignus constituerit. Quando ciui cum extraneo res est, commerciorum sustentationis causa, in plerisque Hanseaticis ciuitatibus, **M E V I V S** e) receptum esse refert, vt peregrinis et advenis citissime ius datur, ne per litium ambages diuexentur, et cum ciuib⁹ commercia colere deterreantur. Hinc statuto f), pignoris, inter ciuem et peregrinum, et quidem aequaliter, siue ciui, siue peregrino pignus datum sit, eadem persecutio intra tres hebdomadas praeflituta est. Modus ipse, ab eo qui inter ciues obtinet, haud differt, de eoq⁹ statim plura exponam.

### §. XII.

#### b) *inter ciues, ubi primo fit Denunciatio.*

Absoluuit modus ius suum ex pignore persequendi, tribus potissimum capitibus; Denunciatione nempe, Aestimatione, et Adiudicatione. Denunciatio siue proscriptio *der Aufbot*, diuiditur in priuatam atque publicam. Illa obseruante **M E V I O** g) ad domum debitori fit per creditorem, mislis perfonis fide dignis, per quas eius attestatio fiat. Publica, quasi subhastationis loco est, et ita plerumque fieri solet, vt creditor, coram isto ad quod hic actus pertinet, iudicio h), creditum denunciet, simul instrumento aliae ratione liquidum reddat, id quod potissimum est necessarium tam quoad veritatem quam quoad quantitatem, de veritate quidem satis constare videtur ex possessione pignoris i), hinc non

e) ad Art. VII. L. III. Tit. V.

f) L. III. T. V. Art. VII. Es setze entweder ein Bürger einem Gaß, oder der Gaß einem Bürger ein Pfand, so soll man auf einerley Weise, innerhalb drey Wochen vor dem Gerichte, nach üblichem Gebrauch procediren.

g) ad Ius Lub. L. III. Tit. IV. art. II. n. 22 sq.

h) Pertinet autem ad inferius ut plurimum: *vor das Niedergericht.*

i) vid. **M E V I V S** ad Art. X. cit. Tit. n. 3.

non vifum fuit difficile aut incongruum, quantitatem et caetera probanda, testibus forte, aut aliis instrumentis deficientibus, sanctae creditoris assertioni committere <sup>k)</sup>, si de persona forte debitoris non constat, quippe de quo casu dispositionem istam intelligendam esse **M E V I V S** <sup>l)</sup> obseruat, quum, in ciuitatibus in quibus commercia florent, frequenter fieri soleat, sine scriptura cedi et assurari pecunias, vel etiam aliorum nomine mutuum accipi non iudicato debitore vero, dato autem pignore cautionis loco. Sin e contrario debitor praesens est, et de debiti quantitate, liquiditate aut tempore controuersiam mouet, auditur, allegans, quae pro se facere videntur, et causa cognita, iudex decernit, an creditor ad vteriorem persecutionem admittendus sit.

### §. XIII.

#### *Postea Aestimatio.*

Primus vterioris persecutionis actus, consistit, in petenda proximo die iuridico aestimatione pignoris: quae, coram ministro iudicij eius **co-**ram quo agitur, quem nos, teste **M E V I O**, den *Untervoigt* vocamus, a iuratis aestimatoribus fieri solet.

### §. XIV.

#### *Tunc Adiudicatio.*

Tandem deuenitur ad adiudicationem sive addictionem, quae in vilibus et octo solidos Lubecanos non excedentibus, et quae his similes habentur post biduum <sup>m)</sup>; in mouentibus post taxationem et licitationem,

<sup>k)</sup> Art. X. cit. Tit. *Wird jemanden ein Pfand gesetzt, welches bey ihm stehen bleibt, will er dasselbe gerichtlich verfolgen, und er nicht beweisen kann, mit unverdächtigen Zeugen, oder sonst, daß es ihm so hoch, als er fürgibt, verfetzt, so mag er es auf seinen Eyd erhalten.*

<sup>l)</sup> ad cit. Art. X. n. 1.

<sup>m)</sup> Art. III. cit. Tit. *Wird jemand ein Pfand gesetzt, vor Wein, Bier, Brod,*

nem, sequenti die, in ceteris autem, post lapsum praefixi termini quatuordecim dierum, fieri solet, ita, ut res, quae alium emtorem non inuenit, pro aestimatione creditoris assignetur, libera vendendi, aut si emtorem non inueniterit, sibi habendi potestate ei relicta; ut tamen, quod plus est in pignore quam in credito, in iudicium deponat, aut si hoc illius pretium excedat, residui petitio integra sit. Haud vero inuitum creditorem, ut pignus mobile taxatum in solutum accipiat compelli, sed etiam illius distractionem, mediante substaftatione vrgere posse, *ME-*  
*VIVS n)* testatur.

### §. XV.

#### *Creditor moto concursu pignus retinet.*

Moto concursu creditorum, cessisque a debitore bonis, is, cui talis contractu pignus est constitutum atque traditum, praeferit animaduertit, quam probe rebus suis consulerit. Non enim, ut litiget cum aliis creditoribus, aut concursu sese immisceat, ei opus est o). Adeo, ut modo res tradita sit, possidens validior sit omnibus, quibus res etiam antea obligata est, in eoque *MEVIVS p)* differentiam iuris communis a Lubecensi obseruat, quo prior tempore est potior iure, etiamsi secundo creditori res hypothecae obnoxia tradita sit; idque praemium vigilando creditori res hypothecae obnoxia tradita sit; idque praemium vigilando

tibus

*Brod, Fleisch, und allerley Kost und Vittelation, und alsdann solch Pfänd vor den Gerichten aufgeboten, so ist er es länger zu halten nicht schuldig, dann zweem Tage, und eine Nacht.*

*n)* Ad Art. II. cit. Tit. n. 46.

*o)* vid. *AVGVST. de BALTHASAR* in collat. iuris communis cum iure Saxonic, Lubencensi et Mecklenburgico, speciatim Pomeranico, qua Classificationem creditorum in concursu. P. II. Seft. I. p. 25.

*p)* ad Art. V. L. III. Tit. IV. n. 32 sqq. add. L. III. Tit. I. Art. XI. n. 12. conf. *ENGELBRECHT* Obf. sel. XII. n. 8. et obf. LXXXIX, *STEIN Abhandlung des Lübschen Rechts.* P. II. pag. 147.

tibus pro firmiori cautione deberi videtur, vt dum iis iura scripta sunt, non modo vigilare permittant, sed diligentiae etiam faueant. Nec ad consequendum hoc ius in re, absisse requiritur, vt res ex aedibus debitoris fuerit ablata, modo symbolice tradita *q)*, nec, imminente iam concursu creditorum, traditio facta fuerit. Genuinae hoc naturae pignoris in manus traditi consentaneum esse, docet consensus iuris HAMBVRGENSIS perinde *r)*, ac aliorum iurium prouincialium *s)*, et ipsa pignoris huius denominatio, quod *ein handhabend Pfand* vocatur, quo teneri et possideri potest, donec de credito satisfactione praesulita fuerit *t)*. Quemadmodum vero, ius retentionis ad consequendam satisfactionem, ultra summam crediti sese non extendit, ita et ea obtenta, hyperocham ad massam concursus restituendam esse, res ipsa docet.

*q)* vid. supr. §. IV.

*r)* P. II. Tit. II. §. 7. et antiqu. P. VIII. Art. VIII.

*s)* de qib. vid. AVG. de BALTHASAR C. l. conf. PAVL. GVIL. SCHMIDIVS diff. de iure retentionis circa pignus post motum concursum in tantum cessante. Ienae cœlacclix.

*t)* Pertinet hic verba Art. V. cit. Tit. ist also derjenige, welcher ein handhabend Pfand hat, näher dabez zu bleiben, dann von andern davon zu trüben.

CA-

**C A P V T . II.**  
DE  
**NAVI OPPIGNORATA**

IN SPECIE.

**§. XVI.***Adplicatur notio pignoris traditi.*

Iam ordo meditationis, propius me ducit, ad id, quod praecipuum est huius dissertationis argumentum. Continet hoc illum iuris patrii textum, qui iura naūis oppignoratae determinat. Pignus hoc, traditis adnumerare non dubitauit (§. I.), quomodo itaque haec sententia, cum iure patrio conueniat, iam accuratus erit determinandum. Eandem, quae Articulo, in quo interpretando occupatus sum, continetur, sententiam atque dispositionem, in antiquissimis juris Lubecensis codicibus, antequam usus iuris Romani ad maiores nostros penetrauerit, confessis, deprehendi, supra iam obseruatum dedi a). Ex hoc iam colligere licet, hunc articulum, etiamsi expressām, pignoris in manus vel ad manus traditi mentionem haud faciat, de eodem tacite vel implicite agere; Vox enim *Weddeschatt*, quae in antiquioribus codicibus adhibetur, et de naui oppignorata usurpatur, quum nihil aliud, quam rem inobilem animo oppignorandi traditam significet b), de nullo alio pignore commode potest intelligi. Id in hisce causis tanto magis legum patriae rationi conuenit, quod maiores nostri simplicitatis naturalis maxime studioſi, hypothecas conuen-

a) vid. si lubet quae allegant in Praef. n. e.

b) vid. supra. C. I. §. II. et VI. conf. KOLLII *Rechtsbuch* Art. XC. et Statut, Brunswicense ap. SCHEIDT Orig. Guelph. T. IV. p. 199.

uentionales ignorarent, cum plus securitatis, possessione, et retentione tribui viderent, quam pacto et conuentione e). Eandem illam simplicitatem naturalem, Lubecenses, in condendis perinde legibus, quam introducendis consuetudinibus, ante oculos habuisse, eamque secutos esse d), ex multis antiqui iuris perinde, quam recentioris locis facile intelligitur.

### S. XVII.

#### *Constitutio fit traditione.*

Alterum, quod ad defendendam meam opinionem facit argumentum, in eo positum est, quod omnia ea, quae supra de constitutione eiusmodi pignoris dicta sunt, ad nauem oppignoratam commode possint applicari. Inter ea imprimis ponitur traditio vera et actualis, quae intuitu nauium perinde quam aliarum rerum mobilium fieri potest, eo effectu, ut vera in creditorem transferatur possessio. Non equidem naues, sicuti aliae pleraeque res mobiles, claudi cistisque includi possunt, instar *eines Kistensfander*, cum sit de natura nauium, ut in flumine publico reuiescant, a quo creditor illam abduci pati non debet, in hoc vero, perinde ac si esset in custodia eius, eam retinere, et debitore solutionem differente, eam persequi, et sicuti ex alio pignore tradito, satisfactionem consequi potest. Quemadmodum enim, obseruante **MEVRERO** e) iura in fluminibus pacis atque promissionibus constituantur, ita ius pos-

sel-

e) vid. **POTGIESER** cit. tr. Sect. I. Cap. I. §. XI. et XII.

d) Argumentum huius obseruationis praebet dispositio iuris Hamburgen sis P. II. Tit. IV. Art. VI. quo creditori datur facultas, pignus rei immobilis recusandi, nisi debitor iurauerit, se mobilia non habere.

e) im *Wafferrecht* Theil IV. Frage II. n. XV. Modo expresse conuenienter, ut pignoris in manus traditi instar obligetur, vid. **ENGELBRECHT** sel. obs. P. I. obs. XII.

cessioneis quoque, pacto transferri, creditorique assignari potest f). Idque non immerito, ad iura nauium singularia g) referimus, quod, cum sua natura, a flumine publico auferri nequeant, in eo, sola conventione et assignatione oppignorentur atque tradantur.

### §. XVIII.

#### *Nauis est res mobilis.*

Hanc obseruationem, alia excipit, ex natura rei desumpta, et qualitatem nauis, qua, rebus mobilibus adnumeratur, respicit. Huius qualitatis iam supra mentionem feci, et retuli dubium illud, quod propterea a quibusdam mouetur, quod olim quibusdam legibus prouincialibus, eadem, in nauibus vendendis necessariae fuerint solennitates, quae in rebus immobilibus vendendis requirebantur, nullius esse momenti h). Probatur veritas huius sententiae ex ipsarum nauium tanquam talium rerum natura, ad quas, legale illud pignoris traditi requisitum optime applicari potest, ut sit, pignus, quod itinere terrestri vel maritimo circumduci i), saluaque sua substantia de loco in locum transferri possit. Non enim, ut pignus in re mobili constitutatur, requiritur ut res sit, quae claudi, cisisque et scirniis includi possit, sufficit, eam tradi posse et in custodiam alte-

- f) Probant aptitudinem huius interpretationis verba Art. IV. Tit. IV. Libr. III. vbi de tali pignore dicitur: *Wann einer dem andern Geld fürstrecket auf sein bewegliches Erbe und Gut, und ihm dasselbe traut und angewiesen wird.*
- g) De iis speciali capite agit MARQVARDOVS in tr. de iure mercatorum Libr. II. Cap. V.
- h) vid. §. I. n. c. add. MARQVARDOVS cit. tr. L. II. Cap. V. n. 85. GRUPEN de vxore theodisca pag. 131. Idem von teutschen Alterthümern p. 99. MEVIVS ad L. L. Libr. I. Tit. X. Art. VI. n. 78.
- i) *Eini Pant, dat man flotten und füren mag.* Stat. Verdense XLII, in PUFFENDORFF Obs. iur. vniuersi, App. T. I. p. 93.

alterius collocari. Egregie hanc sententiam illustrat Ius Hamburgense <sup>k)</sup>, tria pignorum in re mobili constitutorum genera inter se distingueantur. Resert primo, nummos die *Pfennige*, quod vocabulum, si sequi volumus SCHILTERVM <sup>l)</sup> ab ipso nomine des *Pfandes* deriuare debemus; ea autem, si nobis displaceat etymologia, non omni veritatis specie defituta est quorundam opinio, sub iis, den *Pfennigen*, quondam, quaevis nummorum genera, atque imprimis ea, quae in memoriam huius vel illius rei cusa, neque usui inferuntur communis, intellecta esse *m)*, quum pecuniae opponantur, atque in rerum, quae pignori dari possunt, censem scribantur. Melior autem et probabilius, mihi videtur opinio, quod sub oppignoratione denariorum oppignoratio nominum intelligatur; idque ex eodem tractatu <sup>n)</sup> colligo, ubi laudatus de MELLE obseruat, maiores nostros, secundum marcas denariorum computare consueuisse, ex quo patet, sub appellatione denariorum, pecuniam intelligi. Ab isto denariorum pignore <sup>secundo</sup> differt das *Kistenspfand*, quod vocabulum iam in ipsis SVECORVM <sup>o)</sup> legibus occurrit, in Germania autem, potissimum incolis Saxoniae inferioris, STADENSIBVS <sup>p)</sup>, BREMENSIBVS <sup>q)</sup>, LVNEBURGENSIBVS ET HANOVERANIS <sup>r)</sup>, usitatum

<sup>k)</sup> P. II. Tit. IV. Art. VI. So jemand einem andern Geld zu geben schuldig, und ihm das für sein Erbe zu verpfänden anerbiethete, dasselb ist der Gläubiger anzunehmen nicht schuldig, es schwelte ihm dann der Schuldiger, dass er weder Pfennige Kistenspfand oder bewegliche Güter habe.

<sup>l)</sup> Glossar. teuton. Tom. III. Thes. antiquitatt. teuton. p. 657.

<sup>m)</sup> Deducunt quidam interpretationem istam ex B. IAC. von MELLE Abhandlung von Lübeckischen Münzen in Perill. DREYERI Sammlung vermeichter Abhandlungen T. II. p. 954.

<sup>n)</sup> c. l. p. 942.

<sup>o)</sup> vid. LOCCENIVS Lexico Iur. Sueco-Goth. voce *Kistafas*.

<sup>p)</sup> Stat. Stadense P. I. Art. IX. et P. VI. Art. XVI.

<sup>q)</sup> CHRIST. VLRIC. GRVPEN praefat, tractat. de vxore theodisca.

<sup>r)</sup> Idem hoc tractat. Cap. III. p. 131.

tum est, atque extra illam, solum id in statutis **FREIBERGENSIVM**  
 v) aeque ac diplomaticae **BRETZENHEIMENSI** t) adhiberi videmus.  
 Hac voce autem, ea pignora significari videntur, quae cistis includuntur.  
 Ab his denique tertio illa pignora differunt, quae in aliis quibus-  
 cunque rebus mobilibus, quas lex sub generali nomine *der beweglichen  
 Güther* comprehendit, constituuntur: iisque naues oppignoratas non  
 dubito adnumerare.

### §. XIX.

#### *Securitas consistit in possessione.*

Idem praeterea creditori ius possidendi nauem oppignoratam competit, quod creditoribus alterius cuiusdam pignoris traditi legibus nostris concessum est; nec eidem, relicta nauis in potestate et custodia debitoris, fatis prospectum esse posse, ipsa articuli nostri verba u), euincunt. Ex eadem tamen huius articuli sanctione, eam, quam supra retuli (§. IX.) distinctionem, qua, si volente creditore, res quedam ablata est ex sua custodia, ius pignoris amittitur, si nolente autem et inuitu eo immutatio facta, ius pignoris in saluo manet. Non autem absolute hoc atque simpliciter adfirmari potest, sed res ita definienda est. Abducta ex flumine publico nauis, sciente vel ignorantre, volente vel inuitu creditore adimit facultatem, pignus persequendi x): redeunte vero nauis in flumen

s) ap. **HALTAUSIVM** Glosar. Germanico p. 1091.

t) ap. KOPP de iure pignorandi conventionali.

u) Verpfaendet oder verletzet jemand sein Schiff, und seegelt gleichwohl mit denselben anders wohin, und verkauft es, so ist es kein Pfand.

v) Ad ius singulare nauium refert MARQVARDVS c. l. n. 65. sola translatione nauis pignus perimi: non vero ius pignoris semper amitti, sed persecutionem tantum impediri, euentus, Art. nostro determinatus, docet, conf. MEVIVS h. Art. n. 2.

publicum ciuitatis, distinguitur, an consentiente, an inuitu creditore, translatio facta fuerit? Priori casu, pignoris nexus plane sublatus est, posteriori autem, ex dispositione articuli nostri, ius pignoris ipso iure reuincit y).

### §. XX.

*Ea in flumine publico exercetur.*

Quum itaque vis possessionis a parte creditoris, in eo consitiat, vt nautis maneat in flumine publico, hoc loco non alienum videtur, quaerere, quomodo hoc casu possesio seruari possit? Quaerit M E V I V S z) an recte dicatur, auf unser Stadt-Ströhme? in eiusque quaestioni decisio-ne, tria consideranda esse obseruat: usum nempe, proprietatem et iurisdictionem. Ratione proprietatis et iurisdictionis adfirmat, eam, non suo iure esse illorum, qui prope territoria possident, sed principis, et quidem in imperio Romano Germanico Imperatoris. Sicut autem caetera regalia ad imperii principes aliasque status, nec non ad ciuitates inferiores peruererunt, ita et fluminum proprietas et iurisdiccion ab Imperatore ad alios inferiores transiisse notat; vt hodie his mediis iure territorii vtantur; quo in suo ipsis licet, quod Imperatori in imperio. Quum itaque flumen publicum, iure meritoque ad res ciuitatis referatur, in eiusque dominio sit consitutum, id recte inter res publicas numeratur, et usus singulis priuatis quoque tribuitur a); hinc, cum usus, non solum in exercitio commercii consitiat, sed in aliis etiam commoditatibus, rationi iuri et naturae contuenit, pignora ibi referuare.

### §. XXI.

y) Idem Stralsundenium quoque et vicinorum moribus receptum esse, obseruat L O C C E N I V S in tr. de iure maritimo, L. III. C. III. §. III.

z) ad h. Art. VI. n. 8. sqq.

a) L. 4. et 5. D. de Rer. divisi. §. 2. I. eod.

---

### §. XXI.

*Abducta nauis definit esse pignus.*

Quod autem sola translatio nauis, adimat facultatem illam pignoris instar persequendi, hanc rationem habere videtur, quod visum fuerit flatuti conditoribus, si nauis ubique subiaceret iis persecutionibus, quibus pignora de iure obnoxia sunt, inde mercaturaे multa impendere impedita atque incommoda; imo et aliis, quorum plus interest, non interruptum esse nauium cursum, veluti, qui merces in eis transferunt, vel qui natigationi in iis ministrant, multifariam non sine publico incommmodo inde noceri b). Huic inseruit principium illud iuris Germanici certissimum *Hand muß Hand wahren*, quo summo iure persecutio contra tertium possessorem denegatur c). Eamque ob causam nauem, iniuste licet venditam, persequi non licet,

### §. XXII.

*Si reuertitur, ius creditoris reuiuiscit.*

Redeunte vero naui, cessat illa ratio, eamque ob causam, cum de nro in eum flatum redeat, vt persequi possit a creditore, ipso iure in flatum pignoris redire dicitur. Conuenire huic dispositioni videtur, sanctio iuris Romani d), qua inter omnes res inanimatas mobiles, solis nauibus

lon-

- b) Ex ista fine dubio ratione, constitutum est, vt vendita naui, ius pignoris cesseret: quo spectant verba art. *und verkauft es.*
- c) Ex eodem fundamento pignus perfide videtur, si nauis derelicta, postea ab alio seruata et in flumina publica reducta fuerit, quia et hoc casu, persecutio contra tertium facienda esset, quae hoc casu negatur. conf. *HAYENS* diss. de derelicto, in specie de naui, in mari glaciali naufragio rupta, et ab alio inuenta. *Franequerae. MDCCXLVIII.*
- d) L. 2, pr. et §. fin. L. 3, D. De Captiv. et postlim. reuers.

longis atque onerariis, ius postliminii concessum est e). Non incommodum hoc ius ad pignus applicatur, ita, ut, si nauis oppignorata, inficio vel inuitu creditore, in alium locum translata, eaque ab hostibus captata, postea liberata et reducta fuerit, in pristinum statum pignoris redeat. Vsum quidem huius iuris, moribus hodiernis *LOCCENIUS f), STRYCK g) et VINNIUS h)* in dubium vocare ausi sunt, cum vero iure Lubecensi nihil contra tenorem iuris communis hoc casu statutum deprehendamus; ratio haud subest, cur illius juris validitatem iure Lubecensi negemus. Idem obtinere arbitror, si creditor, casu, veluti impetu aquarum, nauem amiserit, eamque debitor dominus recuperet i).

### §. XXIII.

#### *Consensu creditoris abductio liberatur.*

Aliter se res habet, si creditor in translationem nauis oppignoratae consenserit. Ius Romanum k) creditori denegat facultatem pignus persequendi, si in eiusdem alienationem consenserit. Ius nostrum vero, quod summam creditoris collocat utilitatem et securitatem in eo, ut pignori incumbat, nec eiusdem possessionem e manibus dimittat, omnem actum ad renunciationem iuris pignoratitii refert, quo possessio rei, et facultas persequendi pignus adimitur, vel impeditur. Idque tacite, non minus, quam expresse fieri potest. Expressa creditoris declaratio quidem,

pro-

e) vid. MARQVAR'D c. l. n. 74. sqq.

f) de Jure maritimo L. III. Cap. IV. §. III. et IV.

g) in dissertat. de iure nauium Cap. III. n. 105.

h) ad §. 5. I. Quib. modis Ius Patr. pot. solv. n. 2.

i) vid. STRYCK cit. diff. Cap. III. n. 52. conf. *LOCCENIUS c. l. L. III.* Cap. III. §. V.

k) L. 4. et. 7. D. Quib. Mod. pign. vel Hyp. soluitur. L. 1. 2. et 4. C. de Remissi. pignor.

probationem in se continet sufficientem; aliter se res habet circa tacitam, quae, quum non ex ipsius creditoris declaratione pateat, ex factis concludentibus, animum derelinquendi possessionem suam significantibus, deducitur. Inter ea solum iam creditoris scientiam et patientiam, ex sententia statuti nostri, referendam esse, M E V I V S <sup>1)</sup> obseruat; idque, cum sit contra sententiam iuris communis, quo in actibus magni praeiudicii, sola scientia et patientia sufficiens haud censemur, ex speciali iurisprudentiae Lubecensis sanctione, introductum existimat, qua arctius adstringitur possessorum diligentia, ne quid in sui praeiudicium agi patiantur. Mihi autem, in eo differentia iuris Romani et Lubecensis nulla hoc loco subesse videtur, quia creditor possidens, ex iuris Romani constitutione pignus remisisse censemur, si illud reddit <sup>m)</sup>, cum etiam ibi, creditor pignus possidere et retinere debet. Multo magis vero hoc obtinebit, si creditor, factis, directe translationi pignoris inferuentibus, animum possessionem derelinquendi prodiderit; veluti, si assecurationi interfuerit, eamue ipse contraxerit, quia hoc casu, pignus, quod custodiare, cuique incumbere debuisset, sponte ex potestate sua atque custodia dimisit.

#### §. XXIV.

##### *De persecutione extra concursum eoue moto.*

Quatenus autem nexus pignoris perdurat, nihil impedit, quo minus durante nexu, possessionem suam, legitimis remediis defendat et tueatur (*§. IX.*), omnemque alium, modo vitium rei oppignoratae non inhaereat, ab eius persecutione excludat. Nec villa intercedit ratio, ob quam, mom  
ram

JYXX

1) ad Art. V. L. III. Tit. IV. n. 18. sqq.

<sup>m)</sup> L. 3. D. de Pactis L. 7. C. de Remiss. pignoris. Accedit, quod derelictioni pignoris, tacita insit concessio facultatis alienandi,

ram necente debitore, creditor eodem modo procedere prohibeatur, quo alii, pignus traditum tenentes. Illeque procedendi modus, tanto magis iisdem causis adcommodari potest, cum cause mercatorum summarie pertractari soleant n): idque, cum in fauorem commerciorum introductum sit, simul probat, non contra intentionem iuris patrii agere, qui creditoribus pignus in naui constitutum habentibus, privilegium separationis, aequale, cum aliis creditoribus pignus traditum habentibus, trahuit.

### §. XXV.

#### *Argumentum negatiuum pro hac sententia.*

Omnia ista principia, cum iure nostro congruere, ex negatiuo adhuc argumento deducere et confirmare, non alienum videtur. Ius nostrum, et in specie Articulus iste, qui ius circa nauem oppignoratum determinat, in eo, iuris patrii principio, regulamque saepius allegatam *Hand muss Hand wahren*, contractibus Germanorum communem, et a iuris Romani doctrina alienam, sequitur, ac vnic, creditori, pignus tenenti, securitatem concedit, cum nauem ex flumine publico quacunque ratione deductam a pignoris nexu eximat. Ius Romanum vero, rem, pignoris vel hypothecae nexui obnoxiam, nisi remissio interuenerit, vbi cunque persequi permittit, ad effectum consequendae satisfactionis. Quum itaque, articulus noster, plane a iure romano recedat, illum, de pignore secundum mores Germaniae constituto non de hypotheca loqui, extra omnem dubitationem positum videtur.

### §. XXVI.

n) v. MARPERGER *Neu eröffnetes Handels-Gericht* Cap. V.

## §. XXVI.

*Ratio constitutionis.*

Sin autem, de argumento positivo, siue potius de ratione huius dispositionis quaesitio mouetur, ea, in nulla alia re, quam in fide apud maiores nostros semper sancte seruanda, et a mercatura haud separanda, posita est. Mercatura autem et ubique terrarum summum semper fauorem habuit, cum commercia, quibus inferuit, vel quae mercatores exercent, summam reipublicae adferant utilitatem o). Isque boni publici respectus, Reipublicae nostrae statutorum conditores, sine dubio mouit, ut in gratiam mercatorum commerciorumque, multa singularia decernerent p). Potissimum vero, maritima commercia ciuitati nostrae incremento fuerunt q), eamque non solum ob causam, sed etiam propter utilitatem navigationis in mercatura generatim r) factum esse videtur, ut in fauorem navigationis aequae ac in fauorem commerciorum multa singularia constituerentur.

o) vid. CHRIST. GOTTHELF GUTSCHMID diff. de fauore commerciorum, Lips. 1750.

p) vid. MARQVARD c. I. Libr. I. Cap. II. n. 41, add. MEVIVS ad I. L. Lib. I. Tit. X. Art. I. n. 77.

q) MARQVARD c. I. L. I. Cap. III. n. 3.

r) vid. STRYCK cit. diff. Cap. I. n. 7, in Eiusd. oper. T. I. p. 216. add. BECKHOFF de libertate nauigationis commerciorum causa institutae. Lips, 1748,



THE-

## T H E S E S.

I.

**F**ilius familias partem debiti solvens, non totum debitum agnouisse censendus est.

II.

*Ad cautionem iuratoriam in genere is admittendus, qui fideiuſſorem dare nequit.*

III.

*Testamentum Principi aut Iudici per Procuratorem oblatum, si validum.*

IV.

*Defuncto secundum statuta domicilii succeditur ratione mobilium, ratione immobilium autem secundum statuta rei sitae.*

V.

*Pater in dubio filias suas aequaliter dotare debet.*

VI.

*Res alteri commodata, ob improuisam necessitatem superuenientem, ante finitum uſum repeti potest.*

VII.

*In computatione legitime, filius iuste exhaeredatus, connumerandus est.*

VIII.

*Partus Sponſae est legitimus.*






Göttingen, Diss., 1775-76

ULB Halle  
005 301 432

3



5b.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-263749-p0044-5

DFG

**Farbkarte #13**



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



DISSERTATIO  
IN AVGVRALIS IVRIDICA

DE

**NAVI OPPIGNORATA**

AD

ART. VI. TIT. IV. LIB. III.

**IVRIS LVBECE N S I S**

QVAM

A V S P I C I I S R E G I I S

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRO

**S V M M I S I N V T R O Q V E I V R E H O N O R I B V S**

RITE OBTINENDIS

D. XV. APR. MDCCCLXXVI.

H. L. Q. C.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

A R C T O R

**IOACHIMVS L D O V I C V S TANCK**

L V B E C E N S I S .

G O E T T I N G A E

Litteris JOANN. CHRISTIANI DIETERICH.

